

3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
TUSSI CONVULSIVA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS CALLANAN,

HIBERNUS,

A. B. TRIN. COL. DUB.

NEC NON

DUB. MED. SOCIET. SOC. EXTRAORD.

*Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia singultu tendunt: it naribus ater
Sanguis; et obsessas fauces premit aspera lingua.*

Virg. Georg. iii.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

APUD MURRAY ET COCHRANE.

M D C C X C V.

REVERENDO D. BRICKELL
DE CASTLE NOCK,
IN COMITATU DUBLINIENSI,
VIRO MORIBUS PROBO, LITERIS ORNATO,
ET MULTIS TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS
VIRTUTIBUS VERE SPECTABILI,
HANC DISSERTATIONEM,
STUDIORUM PRIMITIAS,
AMICITIÆ GRATIQUE ANIMI PIGNUS,
DAT, DICAT, CONSECRATQUE,
JACOBUS CALLANAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TUSSI CONVULSIVA.

AUCTORE J. CALLANAN.

INTER varios morbos, quibus hominum genus ab ineunte ætate ad extremum usque stadium vitæ plectuntur, nulli tam acrem Medici curam studiumque, quam ii, qui nascuntur e contagione, sollicitant; non solum quod proxima eorum causa densissimis tenebris adhuc obducta latet, ideoque calamitatem amovendi methodus incerta, verum etiam, quod infantulos præcipue infestant, in
quibus

quibus viam sternunt aliis diversisque morbis, qui vitam misere excruciendo mortem sæpius peroptabilem reddunt: Inter tales Pertussis, de qua hic differere proposui, enumeranda est, quæ pulmones, viscus valde tenue et vitæ necessarium, afficiendo, aliis multis, et maxime sævis malis originem præbet. Sic a CULLENO definitur: “ Morbus contagiosus, Tussis Convulsiva, strangulans, cum inspiratione sonorâ, iteratâ, sæpe vomitus.”

Tempus laboremve varias appellationes variis auctoribus huic morbo inditas enumerando, non est in animo terere, aut exquirere utrum veteribus notus necne sit, sed rectâ ad historiam, quâ possum curâ, describendam transire.

HISTORIA.

Pertussis initio plerumque sub catarrhi communis specie grassatur; lassitudine, dolore et gravidine capitis, oculorum rubore, sternutatione, raucitate aliquâ, anorexiâ, una cum levi tussi stipatur.

patur. His symptomatibus dies aliquot, vel etiam hebdomidas, obtinentibus, tandem morbus propriam formam induit, frequentior vehementiorque tuffis evadit, musculique respirationi infervientes adeo violenter in contractiones excitantur, ut nomen Tuffis Convulsivæ jure morbo inditum fit. Per has contractiones involuntarias, et sæpius repetitas, pulmones adeo aere orbantur, ut æger plenam inspirationem cito facere cogatur, aer per rimam glottidis, nunc spasmodice coangustatam insolita vi irruens, sonum fibulum clangosumque, ore vulgari *Hoop* vel *Kink* dictum, edit. Hoc tamen signum, quantumvis peculiare specificumque, nonnunquam per totum morbi decursum abest, quanquam haud ambigi potest, tuffim suâ naturâ convulsivam esse. Hac inspiratione sonorâ peractâ, expirationes convulsivæ de novo recrudescunt, et alternatione bis terve repetitâ, paroxifmus, ut plurimum, (quamvis tuffis in principio arida et ficca est), excreatione mucii exigui cærulei coloris, e pulmonibus vel ventriculo ejecti, terminatur; aut saltem multum levaminis dyspnœæ et aliis gra-

rioribus symptomatis affertur. Morbus faciem sibi propriam adeptus, semper fere in secundum vel tertium mensem protrahitur; nec desunt exempla in quibus totum annum, vel multo diutius, permanisse fertur. Haud vero dubitandum est, * quin diversis anni tempestatibus diuturnitate et acerbitate morbus variet, multo mitior æstivo quam autumno aut brumali tempore evadens; et causa in aprico est, calor æstivus sanguinem ad corporis superficiem eliciendo, et spiracula cutis relaxando, congestionem in pulmonibus, ideoque fontem irritationis perennem amovet; aliquando tamen vero symptomata phlogistica multo graviora verno tempore quam brumali vigent.

Paroxyfmi tussiendi ad incerta intervalla redeunt, periodi nullius certæ tenaces. Interdium dum æger ludis indulget, subito ingruunt, noctu vero frequentiores invadunt, et nonnunquam periodicis statutisque accessionibus, more febrium intermittentium, teste HUXHAMIO, recurrunt. “Doctori HOME
“ femel

* Vide Chalmers, de Morbis Meridionalis Carolinæ.

“ semel tussim remittentem videre contigit, quæ
“ certâ horâ adveniebat, per horam unam vel alte-
“ ram, instar convulsivæ, ægrum agitabat, et dein-
“ usque ad eandem horam noctis insequentis,
“ cessabat.”

Paroxyfmi advenientis præmonet ægrum sensus titillationis et molestia quædam ad partem laryngis superiorem, cum sensu constrictionis, aut etiam doloris, in pectore; adventantique paroxyfmo quasi obviam iturus, guttur manibus prehendit, pedesque terræ violenter impingit. Quinetiam cuicumque obvio tenaciter adhæret, quo succussionem violentam a tussi toti corpori illatam evaderet, vel ab adstantibus, ut se suffulcirent, exorat. Paroxyfmo finito, aliquamdiu æger anhelat, spiritum celeriter raptimque trahens, et manifeste defessus apparet, et si e loco se movere tentaret, instar ebrii, huc et illuc vacillat titubatque; cito vero sese ad ludum, vel quodcunque aliud negotium, in quo occupatus fuit, accingit; et cibum, quem sæviante paroxyfmo fastidiose respuebat, voraciter sibi appositum petit.

Quo copiosior crassiorque expectoratio fit, eo mitiores brevioresque tussiendi paroxyfmi evadunt. Tuffis vi ingenti crebre revertendo, transitum sanguinis per pulmones non interpellare non potest; ideoque reditui ejusdem libero a capite manifeste obest. Hinc facies sanguine turget, venæ tument, arteriæ micant fortius celeriusque, caput dolet et vertigine afficitur, aures tinniunt, oculi prominent, palpebræ tumescunt, vultus tandem livet nigrescitque; et interdum vehementer adeo sævit Tuffis, ut sanguis ex naribus, pulmonibus, vel etiam, ut auctores autumant, ex oculis auribusque * profiliat, sæces et urina invitis ægris elabuntur, singultus sæpe adest.

Aliquando Pertuffis sine ullâ febre stipante invadit; et SYDENHAMUS, in morbis depingendis apprime sagax, se morbum febre comitante nunquam vidisse testatur. Sed febris aliquando una cum tuffi accedit, huic interdum subsequitur, et semet, nisi post intervallum aliquot dierum, non ostendit.

* Vide Butter et Chalmers, de hoc morbo.

ostendit. Quanquam fere semper est continua, tamen, vesperascente die, vis ejus intenditur, graviorque per noctem ad lucem usque sævit. Si ritè febris Tussim Convulsivam stipantis indolem perpendamus, quoniam aliquando initio omnino absit, sæpeque per totum morbi decursum adeo lenis, ut vix, aut ne vix quidem percipienda sit, celeb. CULLENO adstipulari necesse erit, febrem haud necessario tussim excitare, et pyrexiam in omni graviore casu symptomaticam esse tantum, irritationis violentis per universum systema tussi excitatæ. Dyspnœâ ægri sæpe vexantur, præcipue paroxysmo appetente et desinente; alvus sæpe per totum morbi decursum est tarda, urina pallida, sed fere sedimentum deponit; extrema corporis præter consuetudinem frigescent, ut in omnibus accidit febribus ubi humorum impetus ad viscus quodlibet præter solitum determinatur. E copia sanguinis capite accumulâtâ, multum periculi ægro imminet, paroxysmo subsistente, ne apoplexiæ aut convulsionibus succumbat. Infantibus, quorum corporum compages flaccida, in præcipiti res est,

ne concussione musculorum violentâ tussis viam patefaciat herniis, ani prolapsui, asthmati, obstructionibus viscerum abdominalium, rachitidi, phthisi pulmonali, memoriæ lapsui, &c.

Pertussis, æque ac alii contagiosi morbi, tantum semel aliquem afficit; et qui laxa corporis compage et irritabilitate nimia gaudent, ei sunt præcipue obnoxii; unde liquido patet, quare infantes, quam provectiores ætate, potius aggreditur. Corpora firmiora et matura ætas, quanquam ad hanc contagionem recipiendam minus apta videntur, attamen ab eâ haud raro afficiuntur.

Auctores nonnulli sibimet persuasere, eundem sæpius semel Tussi Convulsivâ affectum esse; sed hæc opinio haud omnino verisimilis esse videtur: minime vero negandum est, tussiendi paroxysmos ad tempus inducias facere, aëre fudo et calido, postea* vero humido, frigido, et ventoso recurrente, iterum recrudescente. Haud facile animo inducerer credere morbum sic recidivum ex effectibus

tibus

* Vide Chalmers.

tibus consuetudinis tantum, post intervallum, redire.

Sunt et alia duo signa, quæ operæ pretium est hic notare *, utpote rariora, et ab auctoribus maximi nominis de hoc morbo differentibus præterita. Unum est, tumor partem anteriorem asperæ arteriæ occupans, qui ex aëre effuso in telam cellulofam originem ducit, inter inspirandum et expirandum portione aëris quâdam irruente per aperturam inter cartilagineas factam, ruptis fibris adnectentibus, tumor ad magnam molem tandem evadit, et curam medici sedulam exigit. Fibras annulos cartilagineos asperæ arteriæ connectentes a tussis violentiâ difrumpi posse, non satis liquet, et præstat de re adeo obscurâ nihil conjectari, quam opinionibus parum accuratis, neque ad rem bene exponendam pertinentibus, nosmet irretire. Alterum est gangræna mediam genam obsidens, partesque vicinas erodens, celeremque ægro mortem intentans. Hanc ex debilitate extremâ oriri

B

posse

* Vid. D. Hall's Dissert. Inaug.

posse vix dubitandum est, utpote quæ stadiis extremis tantum evenire dicitur, idemque in aliis morbis debilitate stipatis conspiciere licet.

DIAGNOSIS.

Tussim Convulsivam equidem a catarrho communi per aliquot (ut supra in historia morbi memoratum est) hebdomadas vix ullo modo discernere valemus. Morbo vero epidemice grassante, viciniamque totam pervagante, præcipue si ejusdem familiæ singulos vicissim corripiat, vix in dubio res esse potest. Hic morbus ab asthmate facile dignoscitur reputantibus, quod in posteriore spiritus difficilis sensusque constrictionis in pectore per intervalla recrudescit; e contra, nullis statutis intervallis Pertussis ægros invadit. Asthma longe lateque per populum nunquam sævit: In singulos tantum impetum faciens, provectiores ætate sæpius multo quam infantes aut pueros aggreditur. Nunquam e contagione nascitur. Vomitus rarius multo quam in Pertussi accidit. Quod vero Tussim Convulsivam ab asthmate, et ab omni alio

tuffis genere clare fecernit, est inspiratio peculiaris, sonora, quæ neminem, qui eam semel attentus audiverit, in posterum latere potest.

Quæ Morbum Excitant.

Hic morbus ex contagione specificâ humano corpori admotâ originem ducit; de naturâ vero et origine hujus contagii nosmet ex toto ignaros confitemur. Sed hoc notatu dignum videtur, contagionem per aërem longe lateque disseminari, ex eo quod, multi procul amoti, quos inter et ægros nullum commercium intercedit, quantum detegi possit, eodem tempore * morbo corripuntur. Quanquam contagioni specificæ, ut modo dictum est, semper Tuffis Convulsiva ortum debet, multa tamen vim intendere, et morbum ipsum multo graviolem reddere valeant. Hujusmodi sunt omnia quæ corpus stimulant irritantve, ut frigus post calorem alicui corporis parti admotum, exercitatio vehementior, cibus non modo quantitate

* Vide Chalmers, de Morbis Meridion. Carolinæ.

nimiâ, sed qualitate prava, et potissimum decoctu difficilis; mucus viscidus tenaxque bronchias infarciens, irritationes ex vaporibus aut odoribus ingratissimis, vociferatio, et alia hoc genus, potus frigidus, corpore præter consuetudinem calefacto; potissimum vero concitationes animi violentes, ut ira, gaudium repentinum, mœror, paroxysmum inducunt.

CAUSA PROXIMA.

De natura et operandi modo causarum proximarum, multis in morbis, inter auctores lites agitantur et contrarias sæpe in opiniones dilabuntur; in nullis autem quam in spasmodico-convulsivis et contagiosis commenta eorum magis confusa videntur. De sede, et exinde de causa proxima, scriptores medici multum discrepabant; alii in pharynge, alii in larynge, alii in pulmonibus, alii in ventriculo, statuere volunt. Nobis sententia, quæ in pulmonibus sedem ponit, magis arridet, et causam proximam esse, summam et exquisitam totius systematis pulmonum irritabilitatem, quæ e causa levissima

viffima excitante fibris muscularibus bronchiorum, laringis, et præcipue glottidis, fpafmos violentos inducit. Quo pacto hic effectus e contagione oriatur, adhuc ignotum est; tantum hoc pro certo est cognitum, diverfas corporis partes, potiffimum vero pulmones, magis fenfiles ex impetu eos verfus humorum reddi.

RATIO SYMPTOMATUM.

Inspiratio fonora.—Hic fonus peculiaris, qui ab omnibus pro figno morbi pathognomonico existimatur, e conffriçtione fpafmicâ glottidis exoritur, aëre per viam coarctatam irrumpente, pulmonibus maxima aëris antea recepti parte per expirationes iteratas jam orbatis. Tuffis.—Contagium, humores eliciendo pulmones verfus, hos magis irritabiles reddit; exinde fibræ musculares ftimulantur, et tuffis, initio ficca, evadit. Sed interjecto tempore humores magis magisque coacervantur, unde fecretio auctior tuffisque humida fit. Dyfpnœa.—Quantitas humorum, hoc in morbo, fum-

mo impetu pulmones versus determinatur, et ibi, per expirationes sæpe repetitas, per longum temporis spatium accumulatur. Vasa fanguifera nunc distensa, veficulas aëriferas comprimere, et aëris adeo vitæ sustentandæ necessarii liberam ingressionem impedire necesse est, unde anhelatio et spiritus difficilis non oriri non possint. Dilatatio pulmonum impedita reditui sanguinis ex capite impedimento est; unde venæ tument, arteriæ celerius fortiusque micant, et vasis minimis ruptis, hæmorrhagiæ aliquando accidunt. Symptomata subindè tantum occurrentia, qualia sunt hernia, urinæ et stercorum excretio involuntaria, prolapsus ani, facile explicari possunt ab actione validâ et convulsivâ muscutorum abdominalia viscera comprimentium. Apoplexia, paralyfis, et memoriæ jactura, ex sanguinis congestione in vasis capitis, facile oriri possunt.

P R O G N O S I S.

In prognosi instituendâ, habitus et temperamentum ægri cum symptomatum sævitiâ confide-

randâ

randa sunt. Pyrexia et Dyspnœa maximum denunciant periculum: raro nisi his urgentibus funestus est morbus. Teneris infantibus, duos annos et infra natis, plerumque magis exitialis est: sub dentitionem his periculosior fit. Sin pueros scrophulosa pulmonum labe affectos aggrediatur Pertussis, iis res in præcipiti versatur: morbillis adjunctis, frèquenter periculosa fit. Sanguifluxus profusus periculum intentat ut plurimum; e contra, modicus salutem portendit. Alvus fusa mihiorem morbum, pertinaciter adstricta, graviolem indicat. Quo magis sonora inspiratio, eo diuturnior periculosiorque est morbus. Cutis sicca et arida, expectoratio parca, vomitus in paroxysmo nullus, cephalalgia gravis, vel convulsiones, apoplexia, epilepsia, aut magna debilitas, sunt mali ominis. Si vermibus aut dysenteriâ eodem tempore æger vexatur, morbus diutius protrahatur, et periculum intentet. Si autem in intervallis febris et dyspnœa absint, somnus naturalis et alvus libera, cutis humida, sponte plerumque morbus evanescit, et periculi fere expers est.

RATIO MEDENDI.

Omnes medici uno ore conclamant, medelam hujus morbi imprimis esse difficilem, et artem eorum hucusque elufisse. Medicina vim ejus tantum infringere posse videtur, sed neutiquam penitus profligare, antequam cursum naturalem peregit. Ubi systema semel contagione imbutum est, quâ ratione corrigi aut inde expelli potest, (ut CULLENUS observat), prorsus ignoramus: statutum temporis spatium morbus exigere videtur postquam semel corpori incubuit, in morem aliorum morborum e contagione originem trahentium, ad cursum peragendum: processu vero morbi, (ut in aliis morbis spasmodicis accidit), vi consuetudinis solâ, non contagii operatione malum protrahi, probabile CULLENO videtur; et huic opinioni fidem confiliat terror inopinatus, qui radicitus sæpe morbum sustulit. Rebus ita se habentibus, et nullis adhuc medicamentis compertis brevi morbum expellere quæ valeant, nihil aliud primo stadio morbi, quam signorum violentiam, levare possumus.

Ex omnibus signis, febris præcipue curam sollicitat, quæ longe maximam partem eorum qui fato succumbunt, strangulat. Postquam vero febris penitus sublata, aut saltem mitior reddita est, tussis sedulam attentionem expostulat, quæ quanquam sola per se raro funesta est, tamen propter multa mala (quæ supra numeravimus) quibus ansam præbeat, summa diligentia ad eam primo limine compescendam nosmet accingamus, oportet.

Præcipuæ igitur indicationes curativæ sunt; *1mo*, Pyrexiam, ejusque effectus, amovere; *2do*, Tussim penitus profligare, vel saltem mitiorem reddere.

Ad priorem indicationem, sequentia videntur esse efficacissima.

Sanguinis missio.—Quod ad venæsectionem attinet, auctores contrarias in opiniones distrahuntur. “Repetitâ venæsectione et catharsi SYDENHAMUS sagax affirmat se morbum debellâsse, postquam in variis, atque in omnis fere generis remediis, operam perdidit.” Alii quoque auctores, initio, ubi inflammationis symptomata urgent, C suadent.

suadent. MILLAR vero tali remedio omnino ad-
versatur. Ubi vero signa plenitudinis sunt mani-
festa, pulsus plenus, validus, celer, et durus, re-
spiratio laboriosa et difficilis, vultus tumefactus,
oculi sanguine suffusi, et sputum cruore tinctum,
sanguis, utpote hæmoptysin et inflammationem
pneumonicam præveniens, extrahi debeat, ratione
tamen idoneâ habitûs, ætatis, et vigoris ægro-
tantis semper habitâ : raro vero plus simplici vice
mittendus, nam infantes, quos plerumque morbus
adoritur, evacuationes ægrè sustinent largas ; et
præterea, morbis in spasmodicis, inter quos plane
annumeranda est Pertussis, ubi irritabilitas corporis
adaucta esse videtur, repetita evacuatio non tan-
tum non levet, sed morbum graviolem reddat, et
curatu difficiliorem.

Vesicatoria. — Sæpissime in Pertussi, insolitâ
sanguinis copiâ pulmones opprimuntur, atque
discrimen obstructionis vel inflammationis in-
stat. Hujusmodi in casibus, ad evocandum a
partibus internis humorum cursum, felicissimo

cum

cum eventu, urgenti respiratione difficili, usurpantur epispastica. Ampla sint, et quo propius parti apprime dolenti eo faustiore cum eventu, per longum temporis spatium applicentur, et post intervalla paucorum dierum, partibus quibus admota fuerant sanatis, iterum renoventur, oportet: sic enim adhibita, humores ad corporis superficiem elicient, et ut iidem potentius eliminentur, efficient. Pari ratione, fonticuli et setacea usurpantur, sed hæc æque efficacia raro aut nunquam reperiuntur.

Laxantia. — Alvus fusa leniorem tussim, astricta sæviorem reddit. Medici igitur est, natura ipsa monstrante viam, cautè vestigia illius premere, et alvum leniter fusam fervare. Alvus astricta infantibus præcipue nociva, febrem intendit, convulsiones et epilepsiam non raro inducit; præterea incauti infantuli quodcumque e pulmonibus ascenderit raro exspuunt, sed deglutiendo in ventriculum demittere solent; unde intestina plus justo gravari necesse est: quamobrem ad purgantia mitiora decurrendum est; quippe drastica

nimia evacuatione debilitatem inducunt, mobilitatem adaugent, semperque nocent.

Emetica.—Omnes ferme auctores, qui de hoc morbo scripserunt, hoc genus remediorum summis laudibus efferunt, et modum observando, quo, natura paroxysmo finem imponit simplicioribus morbi formis, illam in gravioribus ope medicamentorum imitantur, optatissimo cum effectu. Nihil enim ad eliminandum mucum tenacem viscidumque, qui pulmones et folliculos bronchiorum mucosos obsidet, efficacius respondit, quam usus emeticorum. Porro fluidis ad corporis superficiem evocatis ope eorundem, a multis incommodis, quæ oriuntur ex humorum in pulmonibus copiâ, præcavetur, alvoque leniter subductâ, purgantis remedii vice funguntur. Curandum tamen est ne sæpius eorum plenæ doses iterentur, quæ nimiam debilitatem corpori inducerent. Propinato igitur semel vel iterum emetico, tunc ad fractas doses decurrendum est, quibus nausea tantum moveatur; sic enim diaphoresin et evacuationes elicient. Tartarus emeticus hoc modo datus insigniter ab HOFFMAN-

no est laudatus. En verba ipsius. “ Et certe con-
 “ cisa dosi Tartarus emeticus solutus in mistura
 “ commoda, ejusmodi in casibus si detur, longe op-
 “ timum et desideratissimum præstat effectum.”
 Si admisceatur pulvis absorbens tartaro emetico,
 ut admonet FOTHERGILL, ab infantibus facilius et
 optimo cum eventu infumitur. Signis inflamma-
 tionis mitigatis, opium vel laudanum liquidum tar-
 taro adjunctum diaphoresin potenter promovet, et
 spiracula cutis, quæ hoc morbo fere semper con-
 stricta sunt, relaxat aperitque. Scopó eidem sy-
 rupo scillitico vinum antimoniale commistum re-
 spondet, vomitionem mitem perspirationemque
 salutiferam inducens.

Fomenta. — Hæc, humorum cursum a pul-
 monibus avertendo, multum levaminis afferre
 solent. Frigus extremarum corporis partium
 hæc valde necessaria esse indicat. Igitur et manus
 et pedes in aquam tepidam sæpius immittere, et ibi
 per quartam horæ partem fervare, multum com-
 modi habet; easdem partes circumtegere pannis
 laneis aqua calida madefactis, et dein accurate con-
 tortis, eundem effectum præbet.

Præter remedia supra memorata, et alia a medicis usurpari solent, quæ *pectoralia* audiunt, quorum alia vocantur demulcentia, et vel mucilaginosâ vel oleosâ vel dulcia sunt. Tussim, ex acri materia in corporis fluida diffusa exorientem, quæ quidem olim opinio fuit, credebantur sopire demulcentia, tum acrimoniam humorum obvolvendo, tum fauces ex acri quodam tuendo. Sed de tali acrimonia in Pertussi non liquet; porro decocta hujus generis ventriculum gravant, appetitum hebetant, sitim accendunt, quapropter plurimum nocent. Alia *stimulantia* vocantur, utpote quæ mucum tenacem attenuendo, et solidorum actionem ciendo, liberam expectorationem promovere putantur. Sed quoniam talia vehementer stimulant, ex toto hoc morbo negligi debeant.

Quantum ad alterum medendi scopum attinet, ubi morbus a vi consuetudinis solâ pendere putatur, pyrexia et signis inflammatoriis sublati, antispasmodica et tonica usurpari debeant.

Antispasmodica.—De variis in hoc morbo antispasmodicis, medici periculum facere solent; et quis
suum

suum insigniter tollit. *Castoreum* summis laudibus effert MORRIS, et raro aut nunquam spem suam sefellisse autumat. Sed quoniam cortici Peruviano admistum aut contrayervæ dedit, forsan fructus talibus in casibus percepti, his attribuendi essent; præcipue quoniam æquè efficax, experimentis aliorum, (inter quos CULLENUS fide maximè dignus est), haud inveniebatur. *Moschus*.—Moschi viribus in solvendis spasmodicis affectionibus multi attestantur, et Dr. HOME prospero eventu in Tussi Convulsiva nonnunquam adhibuit. Ubi effectus minus profunt, forsan impurus, aut nimis parca manu, adhibitus est. *Affasætida*.—MILLAR, in observationibus de Pertussi, hocce medicamentum multa laude cumulavit; verum experientia aliorum ad effectus ejus bonos in Pertussi stabiliendum adhuc deest. *Opium* inter remedia antispasmodica primum obtinet locum, et febre et dyspnœa fugatis, maximo cum fructu ad tussim demulcendam, somnum conciliandum, et vires refocillandas, usurpatur: initio vero, febre et symptomatibus inflammatoriis urgentibus, ab usu ejus ex toto abhorrendum est. *Cicu-*
ta.—

ta.—Hoc remedium in Pertussi BUTTER multum commendat, et in confesso est apud medicos, potestate antispasmodicâ esse præditum. In Nosocomio Edinensi sub Dr. HOME, in hoc morbo optato cum eventu in tussi compescenda, dosibus gradatim plurimum auctis, ni fallor, conspexi. Æther vitriolicus, quanquam vix aut ne vix quidem in Pertussi usurpatus est, tamen, si ab analogia ejus effectûs in aliis spasmodicis affectionibus judicare liceat, multum boni ab eo expectandum, et non est cur ejus periculum non faciamus, præcipue ut exper. Dr. HOME liquet, neque instar spasmodicorum aliorum corpus calefacit irritatve. Hæc hætenus de antispasmodicis; nunc ad remedia tonica transeamus.

Sub titulo tonicorum, varia medicamenta, quasi in hunc morbum specifica, olim decantata fuere; qualia sunt *moschus* pyxidatus et viscus quercinus, usus vero horum nunc obsolevit, et cortex Peruvianus iis merito anteponitur. Cæteris remediis tonicis hucusque e regno vegetabili depromptis, longe antecedit cortex largis dosibus assumptus; ubicunque

ubicunque vero diathesis phlogistica adest et tussis urget, ab usu corticis, utpote effectus nocivos edentis, abstinere debeamus.

Lavatio frigida.—Ad debilitatem laxitatemque removendam hoc remedium in primis efficax inventum est, et nonnullis in exemplis Tussim Convulsivam inveteratam, medicamentis incassum tentatis, sustulit: minime tamen incaute adhibendum est, plethora, diathesi phlogistica, febre aut dyspnoea urgentibus, ab usu omnino abhorrendum est. His vero debellatis summo cum beneficio, morbo per longum tempus vi consuetudinis solâ protracto, ad balneum frigidum decurritur. *Exercitatio.*—Hac modice adhibitâ, nihil ad vim corpori languido et debilitato restituendam accommodatius esse potest. Ægrotus equo vel rheda vehi debet; aut ubi talia, propter res angustas domi, comparari non possunt, suspenso sedili* sub dio uti, oportet. *Cæli mutatio.*—Hæc a quibusdam maxime proficua in hoc morbo existimatur, ab

D

aliis

* Vide Carmichael Smith, 1787.

aliis prorsus inutilis putatur. CULLENUS maximi nominis testatur, se deprehendisse utilem plurimis in casibus, sed effectus quos edidit fugaces esse. Propter exercitium vero corporis et objectorum varietatem, quæ ægri animum ab sensu ærumnarum avertit, maximum in protracta Pertussi beneficium e cœli mutatione sperarem. E frigidiore in calidiorem se recipere æger debeat. Inquinatum urbis aërem deferere, et ruris purum inspirare, nunquam profit; quanquam, mirabile dictu, migratio e meliore in pejorem non minus efficax aliquando invenitur. Ideoque, ut commoda hoc fonte nascentia plene perciperet æger, modo rus ex urbe, modo urbem, rure relicto, petat. *Terror.*—Inter remedia quæ secundo hujus morbi stadio usurpari debeant, terror subitus annumeratur, et si justum ejus gradum metiri, et usum ritè administrare possimus, remedium potentissimum inveniri posse verisimile est. Fulmen electricum ad hunc finem assequendum multo aptius esse videtur, quam methodus apud vulgus in praxi familiari, secundum WILLIS, imponendi affectum molendini

molendini receptaculo. Præmium nonnunquam propositum, paroxyfmo tuffis imminente vel jam fubftanti, finem impofuit.

Enumeratis nunc medicamentis, quibus contra Pertuffim medici præcipue utuntur, refat tantum, antequam finem faciam, ut nonnihil de diæta et veftitu ægri dicam. Morbo incipiente, ubi febris et fymptomata inflammatoria fæviunt, diæta tenuis et concoctu facillima fit, oportet, ex lacte et pane præcipue confecta, ab cibo animali folido, quippe qui febrem accendit, cautè abftinendum eft; febre autem finem verfus morbi fopitâ, diæta magis refocillans nutriensque exigatur, parca quantitate, fed fæpius in die porrecta; nam nimis copiofè ingefta ventriculo oneri fit, et dyfpnoeam excitet.

Morbo penitus amoto, debili, et emacie confecto ægro vigor et robur reftaurantur; lacte afinino, juculis nutrientibus, aëre puro, exercitatione modica, et indufio laneo.

F I N I S.

